

EXERCITATIO XCVII. 647

19. XVII. Nec alia est versuum natura, quàm si tali modo facti & compositi fuissent. *Nec alia est rerum physicarum natura quàm si tali modo genita essent* Princ. IV. I. 205.

EXERCITATIO XCVII.

*Objectiones contra allatam ex Poësi comparationem refelluntur.*

2. **O**Bducatur aliquis hactenus institutæ physicarum & poëticarum rerum comparationi, simile hoc tantopere à nobis commendatum non ubique satis esse congruum illi rei cui illustrandæ adhibetur: ex gr. contra art. 2. præced. Exercit. excipiat, Deum momento fecisse res singulas, Poëtam verò quantumvis excellentem in componendis versibus adhibere moram saltem aliquam, dum syllabarum mensuram &c. attendit, quamvis exercitatus multò citiùs absolvat non exercitato.

2. Opponat etiam contra præced. Ex. art. 15. perturbatos ejusmodi versus sæpe variis modis posse in ordinem redigi atque ita diversos versus ex eadem materia prodire posse, quò pertinet illud Scaligeri Exerc. 318. *Noster quoque versus Heroicus circumfer-*  
tur: